

Hist. lit.

454,80



DISSERTATIUNCULA  
DE  
INEPTIS LIBRO-  
RUM TITULIS;

QVA  
PLURIMUM VENERABILE  
DNN. INSPECTORUM  
COLEGIUM

VIROSQVE MAGNOS AC DOCTOS  
OMNES

AD

BENEVOLE AUDIENDUM QVINQVE ADOLESCENTUM  
ORATIUNCULAS

INVITAT

M. GEORGIUS TRINCKHUS,  
ILLUSTRIS GYMNASII CONRECTOR.



GERAE, TYPIS MÜLLERIANIS.

Hist. liter.

454,80

*H. N. lit. gen. Vol. 21. 22.*



**D**Raeclarè à Sapien-  
tibus, Verba valere sicut  
numos, dictum esse existimo. Quem enim ad mo-  
dum numi, qui ob rerum permutationem introdu-  
cti sunt, nisi publicâ principis auctoritate cusi sint  
aut recepti, valore destituuntur: ita & verba, ob  
mutuam rerum inter homines intelligentiam in-  
venta, nisi publico sermone usurpentur, usum habent nullum. Neq;  
monetam nomine quidem usitatâ, aliud tamen significante inscri-  
bant principes (non enim Galliarum rex Ludovicus Deiotarum  
Gallicum, nec Carolus, Angliæ monarcha, Mithridatem Britanni-  
cum semet vocat: qualiter ineptire tamen docuerunt infelices qui-  
dam Tullianarum venerum aemuli) sed consuetis & propriis, si lu-  
dere non velint in re seriâ, utuntur nominum inscriptionibus. Atque  
id de titulis quoque, non solum ceteris voculis valere, in confesso est,  
nec prolixae indiget demonstrationis. Quapropter, meo quidem  
iudicio, errant, quicumque metaphoricis gaudent librorum titulis,  
eaque scriptis praefigunt suis, quae Delio egere videantur natatore,  
sagacive ex Hetruriâ aruspice. Et quid tandem libro praemittis ti-  
tulum, nisi ut hoc, veluti duce quodam, in rerum, quae inibi venti-  
lantur, notitiam pervenire possis? Perinde sanè erit, si obscurum  
titulum indideris, ut si vinum venditurus, pro hederâ, villi indicinâ,  
manipulum sceni de perticâ suspenderis, uti, quid venale tibi pro-  
fket, emptores lateat: vel, quàm sapiens vinum sit, gustaturo mul-  
sum aut aliud non nihil propinaveris. *Quur enim titulos scriptis indi-  
mus, nisi ut lectori libri indolem significemus? itaque obscurum nomen libro prae-  
figere, est perinde fortassis, ac si interprete utaris, qui & ipse lingua utitur ignota:*

*Notis ad Ana-* rectè ait πολυμαθέστερος **Conringius.** (a) Proinde aucto-  
*so. Ferm Pla-* rum nonnullos ambitiosè, aliquos etiam ineptè facetos indidisse titulos,  
*non Bill. p. 10.* ait in incomparabili *Var. Lectioy.* opere κελκωτάτος **Reinesius,**  
(b)

(b) Neque tamen ἢ χθές ἢ παρών hic mos obtinere (b) l. 2. c. 1. coepit, sed ab eâ, quâ literae viguerunt, tempestate usu venit. Sanè Herodotus profectò, antiquissimus aliàs, idemque fidelissimus, quicquid dicat è Perfide Magus, è Graeciâ Plutarchus, è Latîo Agellius, ex Hispaniâ Vives, memoriarum auctor, ejuscemodi inscriptionis, libros suos novem historicos Musas inscribens, ineptiam deperit; cùm Libros rerum vel historiarum Persicarum, Graecarum aliarumve, de quibus agit, inscribere debuisset. Atque hunc, ut fieri amat, imitati quoque sunt, eòdem titulò sibi arridentes, quondam Cephalaeon, teste Photio; (c) Bion ὁ ῥητορικὸς, (c) μυσιο-  
auctore Laertio; (d) aemulante quoque, ceu soliti sunt, è βιβλιοθ. 68.  
Latinis P. A. Opilio, ut didici ex Agellio: (e) quo mo- (d) vit à Bionis.  
do & Aeschines tres orationes suas ob numerum venusta- (e) l. 1. N. A.  
temque orationis *Gratias*, & epistolas novem *Musas* inscripsit, eo- c. 25.  
dem notante Photio. (f) Ejusmodi affectatas titulorum (f) Cod. 61.  
delicias pleno modio admetitur & vellicat Agellius. (g) Alii, in- (g) l. ult. e. ult.  
quit, Musarum inscripserunt; alii Silvarum; ille κηρίον, alius  
κέρως ἀμαλθείας; quidam lectionis suae; alius πινυκίδιον, & item κ-  
lius ἐγχειρίδιον. Sunt etiam, qui pandectas inscripserunt. Sunt autem, qui  
διατριβὰς. Sunt adèò, qui de disciplinâ regiâ. Est qui memoriales titu-  
los fecerit. est qui studiosorum & de ridiculis, & περὶ ποικίλης ἰστορίας.  
est qui βιβλιοθήκην. est praeterea qui pratum; est item qui ἐποπιδίων.  
est qui scripsit συληγὸν Φήν. Sunt item multi, qui conjectanea &c. Ejusce-  
modi etiam titulorum festivitates enumerat & ridet C. Plinius  
Secundus. (h) Agellius verò, dum alios ludit, usus ob- (h) Praefat.  
scurâ Noctium Atticarum inscriptione, ludum se facit ipse. Parili ta- Hist. Nat. ad  
men modo hi tituli culpandi non sunt, cùm quidam sani Vespas.  
sint, (ut ille ποικίλης ἰστορίας, quo utitur Aelianus; quem hodiè  
imitantur illi variarum historiarum compilatores) aliique aliis tole-  
rabiliores. Agellii lucernam imitati videntur Jo. Nardius Florenti-  
nus & Jo. Freitagius, qui libros suos itidem *Noctes* inscripsere: quò  
pertinent *Dierum genialium & canicularium*, *Horarum* item *subcessivatum*  
scriptores. Acquè inepti, si non ineptiores, sunt quoque nostrorum  
quorum-

quorundam delicatulorum *Spicilegii, Acerrae, Mellificii, Margaritae, Speculi, Vade mecum, Dormi secure &c.* inscriptiones. Ridiculus quoque & ineptissimus titulus est *Quae ex quibus doctissimi medici, Stephani Roderici de Castro*; qui tamen affanas tituli bonam doctrinam compensat. Et Caesar *Commentationum* titulum libris suis praemittens, voce eam, iudice Vosio, (i) abusus est: quod pacto, eodem arbitro, (k) Plinius abusus Panegyrici nomine est; quippe qui orationem suam, quod titulo redderet augustiorem, *πανηγυρικὴν* inscripsit; quam solum, convocatis Patribus, Trajano gratias pro consulatu agit. Patres quoque priscae Ecclesiae obscuros titulos libris suis quandoque praefixere. Ut unum nomen, Augustinus, incomparabile opus ad Marcell. *de Civitate Dei* (*Ecclesiam* isthuc nomine intelligens) inscribendo, obscuro titulo videtur usus. Dum quoque Machiavellus librum suum politicum *Princeps seu de Principatu* inscripsit, quae vox apud optimos quosque scrip'tores significare Regnum quodque solet: cum illud, quod mixtum est, tum alterum, quod est simplex ac pro scopo primario habet ipsiusmet populi commodum: in eo vehementer peccavit, quod vocem multis communem soli dominatui fecerit propriam, nullam tamen additam definitionem: ut notat (l) *πολιτικὴν τὴν* Conringius. Neque figuram carere videtur illud Ciceronianum loquendi genus, quo in praefigendo praeclaro suo *de Jure Belli & Pacis* volumini titulo usus est incomparabilis Grotius: quod animadvertens doctissimus Angelus, Janus Seldenus, operi eruditam & modestam aemulationem Grotiani operis a semet scripto, titulum *De jure naturae & gentium* dedit civiliorem. Vidit id Grotius quoque, & procul dubio insolentiam tituli exprobrari sibi reputans, lepidam urbanitate ultus est virum; quando Seldeni librum de haud libera cuius in mari navigatione, quem *Mare clausum* inscripserat, meliori, non figurato (barbarum enim cum summo viro, ita loquente Cicerone, (m) nominare nolim) cum Seldeno titulo *De imperio maris* insignivit: quod docuit me vir suo tantum, hoc est, omni adjectio majori nomine compellendus, J. H. Boeclerus. (n) Nec ille titulus Trogi Pompeji sanus est, (obscuritate enim laborat) librum

(i) l. de Philologia c. 14. §. 5.

(k) Inst. Rhetor. l. 4. c. 5. §. 1.

(l) in Animadv. ad Machiav. c. 1. p. 7.

(m) Orat. pro Lege Manil. ed. Godofr. p. 347

(n) Praefat. comm. ad Grot. J. B. P. p. 3.

librum suum, quò universi orbis historias complexus est, quemq; in  
compendium redegit Justinus, *Historias Philippicas* [quomodo nec Cato  
rectè, suos *Originum* libros inscripsit (o) ] inscribentis, historiã  
illã Macedonicã totum opus haud conficiente; aemulati fortè  
Theopompum Chium, qui simili modò historiã Philippi  
LVIII. libris comprehensã *Φιλιππικὰ* nominavit, teste Diod. Sicu-  
lo (p) & Athenæo: (q) quãquam et his quinque; alieni, quorum tres  
Siculas res continebant, essent inserti. Non est aspernanda P. Pithoei conje-  
ctura, Trogum Theopompi aemulatione atq; exemplò historias suas, ut Demosthenis M.  
Tullium orationes suas in Antonium, *Philippicas* inscripsisse: inquit ad titulum li-  
bri historiarum Justinii Bongarsius, unicus illius epitomatoris sospitator, ut  
laudatur et Berneggero. (r) Demosthenis autè in Philippũ, & M. Cice-  
ronis in Antonium orationes in dissimili cum Cicerone argumentò  
imitatus est Alphonsus ille Hispanus *Invektivis suis Philippicis*, contra  
Protestantes Evangelicos conscriptis: nisi potiùs ita vocavit, quod  
Philippi Melanchthonis *Locos Theologicos & Augustanam*, quam im-  
ple quoq; confecit, confessionem impugnarent. Ut verò hi tituli ni-  
mis angusti, qui scilicet non omnem tractationis materiam significat,  
culpandi veniunt: ita etiam, qui nimis generaliter inscripti, plura,  
quàm tractatus continent, promittunt, castigandi sunt: quali titulò  
Aratus Solensis carmina sua de stellis *Φαινόμενα* *Apparentia* insignivit.  
Fortassis autem tituli illi, qui pauciora, quàm libris tractantur, noti-  
ficant, pari modò vituperandi non sunt; si dicatur, à potioribus &  
pluribus, quae inibi ventilantur, esse desumptos: quò pactò libri  
Aristotelis *De meteoris* titulum *Μετεωρολογικῶν*, quem indidit Aristo-  
teles, servare possunt, etiamsi in iis etiam de fontibus, fluminibus,  
terrae motu, mineralibus etc. agat, sũptã inscriptione à potiore illa-  
rum rerũ parte, & quòd pleraqve pro materiã generationis ad men-  
tem Aristotelis agnoscant vaporem, suãpte naturã in sublime ferri  
aptum: nisi fortè liber quartus potius ad libros *De ortu & interitu* per-  
tinere videatur, aut proflus *De fossilibus* inscribendus sit, quod jamdu-  
dum sensere Alexander (cujus commentarios in illos libros etiam  
nunc habemus) & Philoponus, doctissimis eis è priscò & nostrò aevò  
accedentibus viris; cujus etiam libri objectum propterea idem esse

(o) apud Cor-  
nel. Nep. 247  
3, 3.

(p) lib. 16.  
Βιβλιοθ. c. 8.  
(q) l. 4. Δεσι-  
πνοσ. c. 10.

(r) Not. in  
l. c. 1.

eum subjecto Chemiae statuit A. G. Billichius, chemicae artis pe-  
 ritissimus. (f) Simili modo tametsi Theophrastus Eresius  
 Chymicis redi- librò illò historicò De lapidibus inscripto etiam de terris aliis-  
 vivoc. 9. que fossilibus agit; nihil tamen obstat, quò minus titulum ita li-  
 ceat insignire, quòd major libelli pars in lapidibus versatur, & quod & reliqua  
 fossilia aliquò modò possunt ad lapides referri: verba sunt Dan. Furlani Cre-  
 tensis. (t) Quamvis negari nequeat, melius esse, si ea, quae  
 insuper occurrere pertractanda, post primarium titulum adji-  
 ciantur; quòd fecit admirabilis ille Aristotelis interpres, Alex.  
 Aphrodisaeus: qui, dum libellum suum de Fatò scribens, multa de  
 eò, quòd in nostrà potestate, disserere infimal necesse habuit, divinum  
 scriptum, ut eò promptius, quid inibi tractaretur, oculis subjiceret  
 & menti, τῆς Εὐαρυμένης καὶ τῆς ΕΦ' Ημῶν inscripsit. Ex his igitur elu-  
 cescit, titulos libris esse praefigendos, qui indolem rerum contenta-  
 rum perspicuè, breviter & velut in saturà ob oculos ponere apti sint;  
 apinas verò ejusmodi inscriptionum fugiendas: cujusmodi etiam sunt  
 quorundam Graeculorum nostrorum. Ut unum è multis (odiosa e-  
 nim haec res est) adferam, prodiit Ulmae libellus Samuelis Hafenrefe-  
 feri Monochordi Symbolico-Biomantici &c. titulo. Non putamus verò operae preti-  
 um esse vel integrum titulum ineptiis plenum huc adscribere: ut verbis utar saepè  
 laudati Conringii. (u) Titulos quoque prisci, praesertim qui  
 philosophi audire gestiebant, Dialogis suis indidissent aptiores,  
 si ab ipsis, quas tractarunt, rebus, non à personis, desum-  
 psissent: quamvis mos iste jam tum à Platone, aut hòe antiquiore,  
 Zenone Eleate vel Alexameno Tejo (x) accersitus, per sit antiquus.  
 Unde, cum Varro tractationem, quàm De origine humanà perscripserat, Tu-  
 bero inscripsisset, obscuritatem viri haud obscure perstrinxisse videtur  
 doctissimus artis Gramaticae, ut laudatur Prisciano, (y) Censorinus:  
 Transeo, inquam, ad opinionem Pythagoricam, Varroni tractatam in librò,  
 qui vocatur Tubero, & intus inscribitur De origine humanà. (z) Eòdem  
 modò & vetus historicus Aegyptius, cuius meminit (a) Eu-  
 lebius, cujusque egregia fragmenta quaedam servavit Josephus,  
 (b) historiam suam inscripsit Σώθω h.e. Isidem; à cujus peregrina-  
 tione orsus est: & vetus chemicus, Zosimus Panopolites,  
 libros suos, quos de arte Chemicà ad Theosebiam scripsit,  
 ἰμῶθ

(a) in Chronico & l. 1. Praepar. ab in. (b) l. 1. contra Apionem.

(u) Intod. in  
 Med. un. c.  
 6. §. 3.

(x) ut ex Laer-  
 tio & Athe-  
 naeo observat  
 C. Sigonius l. de  
 Dialogo p. 301.  
 f. et post hunc  
 Vossius lib. de  
 Philosophorù  
 sectis c. 12. §.  
 14.

(y) l. 1. p. 9.  
 (z) l. De die  
 natali c. 9.

(a) in Chronico & l. 1. Praepar. ab in.

(b) l. 1. contra Apionem.



*ἰμυθὸς* appellavit, quod scilicet Imuth illa artem hancse multūsi  
 promoverit. Quam censuram tamen effugit ille, qui simul rei, quā de  
 proprio quodam nomine insignitus dialogus tractat, titulum adjicit;  
 quod factum est à Cicerone, qui libro *Brutus* inscripto, simul *De claris*  
*oratoribus*, de quibus tractandum ipsi erat eo libro, inscribit. Aliter verò  
 existimandum videtur de Comicorum aliorumq; poetarum inscrip-  
 tionibus: quippe hi ridiculos & teētis locutionibus vulgus aliosque  
 vellicantes, risum fermè tantummodò movere student, ideoq; obscu-  
 ris & ridiculis dramatis suis ridiculos quoc; & obscuros praefigunt  
 titulos. Hoc pacto cum infamiā adspargeretur Socrates, (c) quòd ju-  
 venes corrumpere, Deumq; in sublimi, non simulacris ligneis, quae  
 rendum esse doceret, Nubicolae cognomentum ei haesit, indeq;  
 comoedia nomen *Νεφέλας* facit doctissimus nequam Aristophanes,  
 quā falsè Socratis putatam impietatem & vitia exagitat. Sic cum fa-  
 melicam parasiti ingluviem depingit Plautus, Comoedia nomen *Cur-*  
*culionis* accepit. Idem de Terentii *Heautontimorumeno* aliisq; aliarū co-  
 moediarum titulis statuendum esse puto. Monendum verò est, titulos  
 interdum auctorum à manu esse alienā, & proinde, si quid in iis pec-  
 cetur, minimè libri adscribendum esse auctori: quod de Herodoti à  
 Musis desumptā inscriptione colligere fortassis est ex illis Luciani ver-  
 bis: *ἀχρηστὰ καὶ μάλιστα κληθῆναι αὐτῶν τὰ βιβλία*, quae habet elegan-  
 tissimi ingenii homo elegantissimo libello *πῶς δεῖ ἰσορῶν συγγραφεῖν*.  
 Solenne verò quondam fuit Christianis scriptoribus, mutare titulos auctorum gen-  
 tilium; quod ex illo Phurnuti, sive Cornuti, apparet libro: cui cum titulum  
*Θεωρίας περὶ τῶν Θεῶν Φύσεως* indidisset homo ethnicus, Christiani ἑλ-  
 ληνικῆς Θεολογίας (quasi ethnicam de Deo doctrinam diceret, quia Ἑλληνισ-  
 μὸς ipsis ipsa paganorum religio erat) nominavere: ut videre est apud Theodoretum  
 (d) & Etymologici magni auctorem: (e) id quod me docuit vir stupen-  
 dae lectionis, Ger. Jo. Vossius. (f) Falsus hinc est, quod obiter addere placet,  
 multò doctissimus vir, Jo. Meursius; qui Apollonium περὶ ἰσορῶν Θεωριῶν,  
 quem primus edidit V. C. Gulielmus Xylander, notis auctiorem exhibiturus, titulo  
*περὶ ἑφευσμενῆς ἰσορῆας*, à Suidā, qui ita post nominavit, seductus,  
 insignire maluit. Nec Petrus Victorius, vir de literis & Philosophiā prae-  
 clarè meritus, laureolam adeptus est, quòd operi Politico Aristotelis novum  
 titulum *De optimo statu reipublicae* dederit, cum id rectius veteri *Politi-*  
corum

(c) vid. Aelia.  
 l. 12. περὶ κ. i-  
 509. c. 13. La-  
 ert. in Socrat.  
 vita, Xenoph.  
 in Apologia.

(d) Therap. 2.  
 (e) voce ζεύς.  
 (f) De arte hi-  
 storica c. 7.

(g) l. i. Mete-  
or. c. i.  
(h) ibid.

totum voce insignisset; quandoquidem hic titulus jam jure Quiritum quasi donatus est, & de optimo rei publicae statu non nisi pars agat divini operis, ac illa quidem, cujus non nisi paucula, velut è naufragio tabulae, supersunt. Contra Aristoteles, antiquitatis reverentior, nomen Μετεωρολογίας in inscribenda de meteoris tractatione retinere voluit; quia hanc πάντες οἱ πρῶτοι μετεωρολογίαν ἐκάλει. (g) quamquam jure fortassis aliter, ut sic dicam, intitulare potuisset eximios illos libros, ne novam disciplinam traditurus videretur, quae φυσικῆς μεθόδου μέγεθός ἐστι: (h) qui tamen indubiè hanc ipsam praesumptionem amoliturus, ne vitia vitans in contraria curreret accuratissimus vir, paulisper immutando vocem, Μετεωρολογικὰ nominare maluit: quò ipso nec veterum auctoritati detraxit; nec veteribus obsequendo, ἀπειθευσίας notam cum hodiernis artium amplificatoribus incurrit: quò ad limam criticam revocanti, nemini obscurum esse potest. Ineptus quoque & posthumus erat titulus, quò doctissimi quondam & clarissimi viri, Jo. Neldelii, egregius libellus Analyticus insigniebatur, inscriptus scilicet Pratum Logicum; qui in nuper à editione, quam subministravit nobis illustris Julia, omnis solidioris doctrinae mater, meritò sublatus est.

Nunc ad Peroratorios. Prodebunt autem in publicum & cathedram animabunt adolescentes quinque; ac i. quidem Christianus Fenda, Schlaiz à - Variscus, Confutabit Judicium Midae super certamine Apollinis & Panos musicò. ii. ascendet Christianus Ehbrenfried Jhering / Plavia - Variscus, Narraturus interitum Ciceronis. iii. De cathedrâ Confutationem vituperatorum literarum declamabit Henricus Buijterman / Geranus. iv. Historiam de Cyrò, Harpagò & Astyage Graecò carmine ad imitationem Hesiodi elaboratò Narrabit Jo. Christoph. Zopsius, Geranus. v. Chriam eòdem ex locò de hisce Imp. Justiniani verbis: Juris prudentia est divinarum atq; humanarum rerum notitia, recitabit Jo. Fridericus Maser / Geranus. Quos ut gravissimi DNN. Inspectores, viri itidem excellentissimi & doctissimi, qui hinc commorantur, omnes, quo sunt in literas favore, benevoli audire haud graventur, maximè perè etiam atqve etiam contendo: id studiorum & obsequii promptitudine redhostire pransus ac paratissimus,

Εἰσὸκεν εἰσορῶν γλυκερὸν Φάος ἠελίοιο.

P. P. Gerac d. XXIIIX Julii, A. O. R. ∞ Ioc LXIIX.



